

## GILBERTI PRÆFATIO

IN SUAM HOMILIARUM COLLECTIONEM.

(D. GILES, *Epist. Gilb. Foliot*, ep. 329.)

Habes, frater, quod optasti, quod pulsanti jam diutius charitas ultra negare non potuit. Intus enim positus, avocatos ab his quæ foris sunt sensus meos ne quibusdam forte distraherentur illecebris, cum intra mentis cubile, clauso quidem ostio, quiete placida confoverem, te subito pulsantem foris et aliquid postulantem adverti. Petebas autem aliquem de Scriptura sacra commodari tibi panem: quem amico qui de via venerat ad te, avvocato scilicet ab exterioribus animo tuo, hospitali gratia in refectioe condigne apponeres. Qua in re si vere supplicantis agebas affectum, potius quid porrigerem attendere, quam meæ circa te liberalitati legem constituere debuisti. Nunc vero non quæ sunt vires meæ considerans, tuo potius arbitrio quid tibi dari volueris elegisti. In illud enim quod in beatorum apostolorum Petri et Pauli decantatur Octavis: *Isti sunt duæ olivæ et candelabra lucentia ante Dominum*, tractatum tibialiquem ad gratiam, beatis vero apostolis ad laudem, explicari postulasti, pro libito assignans materiam et explicans dicendi formam. Nam et hoc in prece complexus es, ne tuam scholarium more propositionem sub brevitate constringerem, sed, tanquam in domum meam sapientia declinaverit, juxta illud: *Sapiens in verbis producit se ipsum* (*Eccli. xx*); et illud: *Labia sapientis ornant scientiam* (*Prov. xv*), quod proposueras auctoritatibus cingerem, et id verbis et sententiis dilatando, non in expositionem solummodo, sed in tractatum extenderem. In quo animi insolentiam tui recte quis redargueret, si non omnia charitas

A excusaret. Sed amoris indubitanter experimentum reputo, quod tuum mihi desiderium confidenter exponis. Sitque tibi charitatis indicium quod cum in terra mentis meæ fames verbi prævaleat, panis tamen id modicum quod est penes me, tibi communicare non omitto. Et fuerat fortasse melius mihi pacem comparasse silentio, quam scribendo quidpiam multorum me iudicio submittere. Sed tu te mihi monachum exhibe, et orando discrimen amove, in quod me jam diu continuatæ precis instantia pertraxisti.

*Homilia 1.*

Isti sunt duæ olivæ et candelabra, etc.

*Homilia 2.*

B Post vitem paradisi oliva proxime speculanda occurrit, etc.

*Homilia 3.*

Olivam in paradiso plantatam sapientiam Dei esse, etc.

*Homilia 4.*

In paradiso Dei nihil omnino pulchrum aut, etc.

*Homilia 5.*

Isti sunt duæ olivæ et candelabra, etc.

*Homilia 6.*

Sequitur ante Dominum lucentia, etc.

*Homilia 7.*

Sequitur ante Dominum quædam lucent, etc.

*Homilia 8.*

Habent potestatem claudere cælum nubibus, etc.

*Homilia 9.*

Duæ claves cæli sunt, quas ut nobis, etc.

ANNO DOMINI MCLXXXVI

## ROBERTUS DE TORINNEIO

ABBAS S. MICHAELIS IN PERICULO MARIS

## NOTITIA

(D. Ludovicus Conradus BETHMANN, Proleg. ad Sigebertum. Vide *Patrologiæ* t. CLX initio)

Robertus, patria Normannus ex vico de Torinneio, anno 1128 S. Benedicti Regulam professus apud Beccum, an. 1149 ibi prior electus, vi Kal. Jun. 1154, ad abbatiam Montis S. Michaelis de Periculo Maris vocatus, quam summa cum laude gessit usque ad obitum viii Kal. Jun. 1186; vir generis nobilitate ex-